

Heinrich Christian Tielcke Augustus Otto Everssen

## Osculum Libertatis Et Arbitrii Synopticum

Rostochii: Richelius, 1688

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732449251>

Druck Freier  Zugang



*Ru phis 1688*







*Felix in nomine Jesu Sit.*

F. I. N. I. S.

61.

OSCULUM  
LIBERTATIS  
ET ARBITRII  
SYNOPTICUM,

Benevolo Amplissimæ Facultatis Philos.  
suffragio,

Cathedram moderante

M. HENRICO CHRI-  
STIANO *Gielcken*/

Rostoch.

In Inclytæ Meklenburgicæ  
AUDITORIO MAXIMO,

*ad 23. Maji.*

Disputandum exhibet

AUGUST. OTTO *Borssen*/  
Neustad.



ROSTOCHII,

Imprimebat JACOBUS RICHELIIUS, Ampl. Sen. Typogr.  
Anno M DC LXXXVIII.



F. L. N. S.  
 OSQULUM  
 LIBERTATIS  
 ET ARBITRII  
 SYNOPTICUM  
 Benevolens amplissima Facultatis huius  
 Collegium moderante  
 M. HENRICO CHRI-  
 STIANO  
 in huiusmodi  
 Auditorio Maximo  
 die 21. Julii  
 Tempore exhibit  
 AUGUST. OTTO  
 ROSTOCK  
 Impensis J. COBUS FLORES  
 Anno 11. DC. LXXXVII.



## Præliminaria.



Necessitatem & in DEum, & in inferiora cadere ambabus largimur. Non verò innuo quamlibet, v. g. complexam, in afficiendo, operando, aliamve his affinem, sed potissimum incomplexam, ac in essendo. De hâc generatim *Philosophus*, τὸ μὴ ἐδεχόμενον ἄλλως ἔχειν, ἀναγκασίον φάμεν ἔχειν ἔτι, lib IV. *Metaphys. cap. V. Sc.* At non obstante necessitate ejusmodi, Infinitum & caduca pervagante, Rationalia, vi Arbitrii, liberè agentia rectissimè denominantur. Haud præter rem *Bellarminus lib. V. de justificatione cap. II.* Non omnis necessitas Arbitrii tollit libertatem: add. *Bonavent. lib. 2. dist. 25. part. 2. art. 1. q. 2.* Respuit quidem Arbitrii Libertas (a) internam naturæ (b) externam coactionis & violentiæ necessitatem, non præcisè quamvis aliam. Patebit *Arbitrii hujus ratio clarius ex dicendis de Osculo libertatis & Arbitrii.* Mentem crenamque dirigit *Summus!*

## SECTIO I. DOGMATICA.

### PRÆCEPT. I.

Libertas est nobis appetitus rationalis adjunctum, quò ille est indifferens ad utramvis contradictionis partem.

### ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. I.

EXprimit *Libertas* aliquando statum; ex *Florentinus Jctus: Libertas est naturalis facultas ejus, quod cuiq; facere libet, l. 4. de stat. hom.* Nolis interim, notionum affinitate

A 2

de-



deceptus, ad *Libertatis* statum evehere statu liberos, quibus sub  
 conditione relicta est *Libertas*: à servis hi vix differunt l. 29.  
*de stat. lib.* *Libertas* hæc, originis ratione, est juris naturalis,  
 l. 4. de J. & J. Publicis annumeratur l. Si quis 53. de fid. lib.  
 Accuratis distingvas limitibus libertatem civilem à morali;  
 de illa antea perpaucis, hæc πρώτως, removel vitiorum servi-  
 tutem. Illustri ratione, ως εν τύπω, eam advertimus in Or-  
 ziano Episcopo, qui pretiosa ab Anastasio oblata, ne futilis lu-  
 cri divus præco videretur percupidus, remisisse legitur apud  
 Zonaram Tom. 3. Annal. Huc collimant, cum Divus Paulus  
 gratiæ statum Romanis adumbrans eosdem ελευθερωθεντες ἀπὸ  
 τῆς ἁμαρτίας deprædicat v. 18. cap. 6. Rom. Eidem, Rom. 8. v. 21.  
 Beatorum post hæc secula status ελευθερία τῆς δόξης τῶν τέκνων  
 τῶ Θεῷ dicitur. Haud abfimili sensu dantur *Libertas* à Justitia,  
 Rom. 6. v. 20. *Libertas* à lege, maximè respectu maledictionis,  
 Rom. 8. v. 2. &c. En libertatem, quæ statum exprimit! Re-  
 fer hūc libertatem (α) à coactione (β) à violentia, quæ mem-  
 bra formale arbitrii liberi nullo sensu exhauriunt. Omnem  
 verò *Libertatis* statum dignitatem dicere tantum abest, ut po-  
 tius quidam recolentes pristinum *Libertatis* statum omni jure  
 erubescant, vid. v. 20. cap. 6. Rom. *Libertas* (quod infero) in  
 Germanicis & *Asyla* frequentissimè denominat. *Asyla* E-  
 bræis dicuntur עיר מקלט Num. 35. v. 13. Item עיר המועד Jos.  
 20. v. 9. Habuerunt Auctorem primum non *Herculem*, ut  
 Somniat Ludov. Vives c. 1. non *Cadmum*, quod arridet *Hali-*  
*carnassæo*, sed *Mosen*, secundum Num. 35. & Jos. 20. votum: an-  
 nec. *Josepb. l. 4. Antiquit.* Ejusmodi refugii loca, quæ vel  
 hodie inter Christianos vigent, quoniam immunitatem  
 præstant illis, qui præter intentionem & voluntatem com-  
 miserunt homicidium, exin casuale appellatum, in Germa-  
 nicis dicuntur die *Frenheiten*. Eadem notatio & alia spatia,  
 sæculari Regimini exempta, aliquoties fittit; sed hæc ως εν  
 τῷ νόμῳ καὶ παρέργῳ, VIX enim ex supposita æquivocatione du-  
 bium



bium enascitur. Addo, nonnunquam Libertatem formaliter exprimere voluntatem; quod iterum alienum.

§. 2. Edocet præceptum ipsum, quis sensus libertatis noster sit impræsentiarum. Assignatur scil. appetitui rationali. Dispecitur Appetitus in λογικὸν & ἀλόγῳ, *Arist. lib. 1. Rhet. cap. 10.* ille residere dicitur ἐν τῷ λογικῷ hic ἐν ἀλόγῳ *lib. 3. de Anima cap. 9.* illi Ratio, huic sensus dicitur. Dicitur Synonymico vocabulo voluntas, quæ notio aliquando, sed rarò & πυχρῶς sensitivo appetitui tributa legitur. *De Appetitus hujus, præcisè sumpti,* (Verba sunt Excellentissimi cujusdam) *ratione non est, se habere per modum desiderii ad bonum non possessum; Sed potest Voluntas etiam se habere ad modum complacentiæ sive amoris & quietis in perfectione habita ac possessa.* Idem aliquoties suggerit *Thomas.* addatur *B. nostri Mulleri Theologia Scholastica cap. 4. §. 39. & 52. cap. 5.* Libertas appetitus hujus est adjunctum analogicum κατ' ἀναλογία illam ferè, de qua Philosophus per *Exempla lib. 1 Nicom. cap. 4.* ita infimul ut à parte rei minimè differat à Voluntate, hoc exprimitur & illis *Damasceni lib. 3. de Orthodoxa fide cap. 14. ἀνεξαρσίτης ἔδειν ἔπειν ἔστιν εἰ μὴ θηλασι.* *Conf. B. Sperling. in Anthropol.* Distingvitur interim à quavis Voluntate Libertas ratione, ut in *Scholis* dicunt, ratiocinata. Erit ergò sola Voluntas Libertatis subjectum non intellectus, quia illa duntaxat formaliter, radicaliter, causaliter est libera. Arguit Libertas in formali indifferentiam; Vigore hujus potentia libera, aut res eam obtinens potest agere vel non agere, hoc vel aliud agere. Prædicta indifferentia differt maximè à Juridica seu politica *Neutralitate*, quæ inter vicina bella quietem adamantes afficit & denominat. Rejicitur à *Moralibus* ceu frequentissimè exitiosa. Hinc *Rex Alphonsus de Senensibus*, ob prædictam neutralitatem, lepidè dixisse fertur: *Accidisse illis* (Senensibus) quod iis, qui mediam Domus partem incolunt; hi enim haurò rarò ab inferioribus fumo, à Superioribus lotio vexantur; vid. *B. noster Redeker in Dissert. de Neu-*



iralitate, & ab eodem allegat Scip. Am. Dissert. in Tac. l. 18. cap. 8. Contradictio, quam indifferentia respicit, adeo laxè accipiat, ut & contradictionem pressius talem, & contrarietatem sistat, vid. Dn. Pascha in Dissut. Ontolog. de Actu & Potentia Sect. I. Dogm. Præcept. II. §. 3.

## PRÆCEPT. II.

Arbitrium est voluntatis potentia activa,  
Mentis vigorem (actum, sensu sano,) supponens, Libertate, quam osculari dicitur, stipata.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. I.  
**N**Otat aliquando *Arbitrium* Mentis actum, quod evincere videtur Etymon, dicitur enim ἀπὸ τοῦ ἀρbitrari. Tum ferè æquipollet iudicio (a) absoluto, quod insequitur Velleitas, ut Moralistæ loquuntur, (b) comparato, quod excipit Volitio, conf. *Ideam Burgersdicii* p. m. 64. 65. De hac notatione evolvantur *B. Kõningius in positiva Theologia* p. m. 101. §. 194. provocans infimul rectissimè ad Latinos Auctores. *Becanus in Theol. Schol. de lib. arb. q. 1. n. 4.* Nonnunquam sistit voluntatis operationem. *[Becan. cit. loc.]* Nobis Arbitrium dicit voluntatis potentiam activam. Activam inquam, aliquando enim voluntas est passiva potentia, quatenus actus à se productos recipit, qui idcirco immanentes appellantur, ut ex Theologis rite observavit *Petrus Museus in Thesibus Theologicis, disputat. 16. Thes. 30.* Sed hoc sensu nec libera est voluntas, nec arbitrii nomine ullatenus venit. Poscunt promiscuè ferè in arbitrio prævium mentis iudicium, adeoque intellectui μερομερῶς assignant. Quibus consona eruditè fudit *B. Chemnitius* part. 1. L. L. C. C. p. 175. *Sæpe mens absolute iudicat aliquid, ad quod*



quod iudicium nulla sequitur appetitio. Sæpe etiam voluntas prosequitur vel fugit aliquid sine prævia mentis consideratione, & tunc non appellatur liberum arbitrium; sed quando conjunguntur mens & voluntas, ita ut iudicium mentis vel obtemperet voluntati, vel repugnet, & voluntas non temerè, sed ea quæ ab intellectu monstrata sunt, expetat vel rejiciat. Ast hæc procedunt de arbitrio operante; atquæ ita interpretamur B. Chemnitium, de *veritate* tamen, vel in adductis, per rei sequelam, & formale esse arbitrii enodantem. Arbitrium, fateor, in viribus Spectatum, ut jam attenditur, Mentis, ceu judicare valentis, vigorè, & hunc frequenter actum dicimus, unicè supponit. Arbitrium ejusmodi sua stipatum est libertate, quod vel olim Plato in Phædro notavit fufius. Eundem in sensum notanter Johannes Homborgius, Professor quondam Physices in Juliana Academia, Nullum, loquitur, agens (in meliorem intelligentiam & hæc apposui) sive cælum sive Angelus potest inferre necessitatem voluntati, in discursu de anima immortalitate §. 19. Sic unitam libertatem Arbitrium osculari dicitur.

§. 2. Osculandi ritus, ut frequentissimum & usitatissimum, apud Orientales maximè, edocet Codex Sacer. 2. Sam. 20. v. 9. lib. Ruth. cap. 1. v. 14. addatur Osculum proditoris Judæ ex 26. Matth. v. 49. Marc. 14. 45. &c. Osculabantur autem modò os, modò mediam barbam, aliquando manus, nonnunquam genua ipsosque pedes. Remitto curiosum ad patientem Jesum Mulieri nostri in terris, dum viveret, in cælis jam magni. Cæterum quid innuerit osculum apud Priscos legitur ex Ambrosio Tom. IV. Pf. 39. Alphonso de Castro, cui osculum est sanctum pacis, Charitatis, Religionis, concordia & subjectionis Symbolum l. IV. adver. Har. ber. 3. Nullum demum, quod attendenti liquet, infigebatur osculum citra unionem quamcunquæ & accidentalem, & amicam, sive ὄσταις, sive Φιλιομαίνας talem. Hanc unionem & nos attendimus inter arbitrium & libertatem, cui exprimendæ inservit OSCULUM: Sed Synopticum hoc est.

§. 3. Di-



§. 3. Dicitur *Synopticum* δὲ τὸ συνοψῆσαι, cujus diversæ suppositiones petantur ex Lexico graphis: remitto Lecturum ad *Scapula columnam* 1177. Per paucis addimus Synopsin accipi aliquando effectivè, cum uno quasi oculorum ictu, adeoque ἐν ἑκλήμῃ ἡρόν aliquid visum incurrit, hujus legitur exemplum *Luc. 4. v. 5.* aliquando objectivè pro dilucido rei compendio, quando res latius aliàs diffusa breviter ob oculos ponitur, loquitur ita *Excell. Mich. Waltherus in dictat. Theol. ad Tit. Theol. posit. Köningii.* posterior notatio est nostra. Sine phaleris ergo, omnique notionum luxuria, quin &, quod addo, sine morsu, Theonem neutiquam agam, hæc pagina Arbitrium succinctè, & in nuce quasi suggeret.

### PRÆCEPT. III.

Liberum Arbitrium aliud est Dei, aliud Angelorum, aliud animæ nostræ in utroque statu.

### EΚΘΕΣΙΣ.

§. 1.

**S**ine vita rationali Libertas nec est, nec decenter attenditur, & reciproçè, inquit *Johannes Schottus in Tractat. de naturali mentis acie* *Evigore* p. 22. Quid ergo de liberrimo Deo? Vitam sanè Summus vivit perfectissimam, hinc *Philosophus c. 7. lib. 12. Metaph. Φαμέν τὸ θεὸν ἐν αἰῶνι αἰδίου ἀεῖον*, Dicimus Deum esse sempiternum, optimumque vivens, legatur, si volupe, *Ἰηηνα II. Dissert. de Conceptu Summi Numinis Contrabente sub Præsidio nostro* hic *5. Junii, Anno 86. publicitus defensa.* Vivit nimirum Deus vitam intentionalem, quâ se actuare concipitur internis actibus intelligendi & volendi, modo cum *Conrado Vorstio, in Tract. de DEO*, non rigida hîc fingas accidentia. Ab ejusmodi vita cessandi ratio repugnat Summo, hincque immortalis salutatur. Accuratè *ethnicus Sophus lib. 2. de Cælo cap. 3. οὐδὲ ἐπέγειν*



γὰρ ἀθάνασία, τῶν δὲ ἐστὶ ζωὴ αἰδίῃ. Hæc immortalitas per essen-  
 tiam solius est Dei, Angeli enim cum Animabus vivunt æter-  
 num *χάριτι καὶ τῇ δωρεῇ*. Vitæ divinæ gradus habentur Intelle-  
 ctus & Voluntas, cum annexa Libertate. *Intellectus ipse est*  
*Deus, sub ratione cognoscentis conceptus*. Cognoscit autem citra  
 omnes omnino species intelligibiles, immediate, intuitivè eminen-  
 tissimè & se ipsum, & alia: universalia cum singularibus (illo-  
 rum cognitionem notanter haud absimili simili adumbrat *Tho-*  
*mas*) realia & rationis entia. Novit & minutissima; nec ad-  
 versantur illa *Hieronymi*: *Absurdum est ad hoc deducere Dei Ma-*  
*jestatem, ut scias per singula momenta, quot nascantur pulices,*  
*quotque moriantur, in cap. 1. Habac.* Accipiamus prævia de at-  
 tendendi gradu, tum nævis carebunt. Voluntas cum con-  
 jūctissima libertate, vi hujus ad hoc illudve bonum, à mente  
 divina cognitum, est indifferens. En Dei arbitrium! *Aristo-*  
*zelem*, Liberum Arbitrium Deo denegantem, adversari no-  
 bis strenuè & prolixè contendit *Bellarminus Tom. IV. l. 3. de*  
*grat. & liber. Arbit. cap. 15, 16, 17.* Sed fateor præter rem, cum  
 enim ingeniosissimus Philosophus Rationalibus inferioribus,  
 præter cogitationis motum electionem insimul & voluntari-  
 um aliquoties assignet, illaque ex eo perfectiora judicet, quo  
 demum sensu perfectissimo Viventi libertatem subtrahere,  
 poterit? Nobiscum hoc observarunt *Averroes, Schottus in ci-*  
*tato Tract. p. 36. seqq.* Taceo, quod contingentia inferiorum,  
 ab ipso Philosopho adstructa, sine Libertate Superioris, eam  
 (contingentiam) largientis, sit penitus lubrica. Quibus *Car-*  
*dinalis* militat straminea sunt. Libertatem Dei ad illa potis-  
 simum, quæ extra Deum sita concernunt, referre tenemur,  
 ipsum enim quæ respiciunt DEUM, sive sint essentialia, sive  
 personalia & characteristica, naturalia rectius & necessaria,  
 quam libera dicuntur. Ex variis legi meretur Summè Ve-  
 nerandus *Dn. Quesstedt in Syst. Theol. Didact. polem. part. 1.*

B *Thes.*



*Thef. 28.* Sectionis didacticæ, fol. m. 290. Dein omnia extra Deum, bona æque ac mala optioni & liberrimæ Voluntati Summi nequiquam supponas, licet in contrarium audacter nimis blaterent *Calviniani*. Sanè accuratius longè *David* suo canebat Seculo אֱלֹהִים רַשָׁע יַחְזִיק אֵלָיו *Ps. V. v. 5.* In bonis solummodo, eorumque optione liberrima Arbitrium, Dei liberum quiescit. Hujus Arbitrii vi, vel ipse Deus aliquid aut facere, aut permittere vult, vel à nobis aliisque aliquid fieri cupit. Utilissima hæc divisio, *que Augustini est*, transfunditur, fatente *B. nostro Müllero*, per totius Theologiæ latifundium. *Theol. Scholast. cap. 11. §. 178.* Quò demum discrimen divini Arbitrii & aliorum Creatorum insinuemus clariùs, audiamus differentem de hoc graviter & erudite *Brochmannum*: *Moneri, loquitur, utiliter potest, quanto discrimine libertas Arbitrii tribuatur Deo & Creaturis Rationalibus — Liberrimum agens Deus nec potest velle malum, ut qui essentia sua immutabili bonus sit, ac ea propter non possit velle, nisi bonum; nec consultationem adhibet, ut qui omniscius sit, & omnia antequam fiant, clarè videat; nec ab objectis externis pendet, cum omnia ab ipso pendeant, adeò ut sine ipso non sint, atque ea propter omnia secundum consilium Voluntatis operetur.* *Tom. I. Syst. Theol. cap. 2. qv. 1. fol. m. 143.* Hinc ὁ Θεὸς λυσιτελεῖ liquet non accuratè admodum philosophari illos, qui liberam potentiam in Ontosophicis constituunt membrum subdividens potentiæ activæ finitæ, cum tamen & infinitam respiciat. Observavit hoc nobiscum aliquoties à nobis & antehac allegatus *Excell. Pascha, Stargardiensis Rector, & Collegii Gröningiani, quod Stargardiæ est, Professor celebris, in Collegio Ontologico, cap. 1. de Act. & potent. præcept. 2. §. 3. not. 5.* Hoc contra modernos haud paucos. Ex Succinctè positis quibus is Relegens vinculum arctum inter divinam voluntatem, ad alia, extra Deum, relatam, & libertatem, reor, colliget. Sic radiat Osculum Libertatis & Arbitrii divini!

§. 2. Et



§. 2. Et Angeli liberè operantur voluntqve. Forsàn non obviant Sadducæi, Libertini, Averrois æmuli, ejusqve farinae alii *ἀποῖς* Angelorum existentiam negantes. Supponimus tamen existentiam Angelorum ex lumine naturæ stabiliri firmiter. Transeant Scholasticorum argumentationes, pro possibili saltem Spirituum horum existentia; apodicticè & firmissimè colligimus hîc ex spectris, obsessiõibus, aliisque effectibus. Dicitur Angelus ita ab officio, Angelis communissimo, *exin Augustinus enarrat. Ps. 104. Quæris naturæ nomen, Spiritus est, quæris officium, Angelus est.* Missionem verò Scholasticorum varii non cunctis tribuunt Angelis, sed inferioribus demum, mortalium ministris, contra literam *Hebræorum 1. v. 14.* ubi Angeli, cuncti *καταρχικά πνεύματα* salutantur *δοτεσθόμενα εἰς διακονίαν* &c. Dubium solvere annitur *Thomas part. I. qv. 112. art. 2. 3. distingvendo inter missionem interiorem, quæ citato Auctori est mandatorum revelatio, & exteriorem, hanc nominat executionem:* assignat illam Superioribus, inferioribus hanc, largiendo interim omnibus ac singulis missionem generali notione decenter tribui; Sed hæc æqve ac illa, quæ de novem Angelorum classibus lepidè à Scholasticis adstruuntur, otiosa svaviaqve sunt somnia, illata sine Scriptura, sine rationis fundamento. Hi Spiritus (Angeli) dependentes, completi (parum curamus (1.) *Pythagoricos, Platonicos, Muhammedanos* concipientes Angelos corporeos (2.) otiosos Scholasticos, parum dextrè, sentiunt enim nimis splendide de Angelis, Spiritus hos describentes) vitam intentionalem vivunt, quæ absolvitur actibus internis intelligendi & volendi. Potestates hic agnoscimus substantiæ angelicæ superadditas, vi quarum Spiritus hi se actuare concipiuntur. *Impossibile est, ut illud, quod non est purus actus, sed aliquid de potentia habet admixtum sit (per essentiam) sua actualitas, Thomas part. 1. q. 54. art. 1. add. q. 45. art. 3. &c. In-*



*Intellectus Angelicus est actus immanens, quò sine sensuum auxilio, intelligibile cognoscitur sub ratione veri. Versatur Angelica mens circa universale, pariter ac singulare; posterius hoc Albertus Magnus in libro de intellectu & intelligibili, aliquoties pernegat. Si verò cognoscibilia cuncta, quoad actum secundum species, intellectus Angelicus non semper erit in actu, est enim hoc solius infinitæ mentis. Per finitudinem angelici intellectûs assignamus Angelis necessariò species intelligibiles. Quo respiciunt illa Dionysii cap. 4. de divin. Nom. Angeli illuminantur rationibus, i. e. rerum speciebus. Demum nec compositionem ac divisionem denegamus Angelis, dissentit tamen Schola Thomistica, leg. Thom. 1. p. 9. 58. A. 4. A mente cognitum Voluntati objicitur. Voluntas est Angeli attributum, quò ille bonum, ab intellectu cognitum, libere prosequitur, malumque averfatur. Non inficiamur ut intellectum sic & voluntatem, præter libertatem, variis superadditis aliis (maximè & referuntur huc habitus (a) concreati, (b) divinitus concessi, (c) quotidiè acquisiti) splendere admodum. Dubium forsan ex suppositis enascitur, num scil. Angeli ob tot tantave concreata dici queant conditi ad imaginem Dei? Resp. cum B. nostro Varenio, phrasi biblica minimè, si vero rem spectemus ipsam, non obstat, quò minus. En! Imago Dei, strictiori acceptione, in qualitatibus sive dotibus, specialiori Dei gratia concreatis, consistebat Coloss. 3. v. 10. ad Eph. 4. v. 24. Subjectum hujus imaginis quò & proximum non corpus erat, ut videbatur Audeo, teste Epiphonio Heres. 70. sed anima, maximè ratione facultatum superiorum. Ejusmodi qualitatibus sanè κατ' ἐξοχὴν exornabat Deus Angelos. Libertas voluntatis non habebit locum in actionibus Angelicis naturalibus & necessariis v. g. potestatum emanationibus, divino intuitu &c. sed accessoriis e. gr. locutione, ἢ ubi variatione, corporum assumptione, aliisque similibus tam elicitis, quam impera-*



peratis à Deo etiam in quorum (imperatorum) pluralitate datur, nisi aliter disposuerit Summus libertas contrarietatis, non contradictionis. Demum & hoc annectimus bonis Angelis libertatem, competere bonorum, malis malorum respectu. Dixeris forsan diversum Angelorum statum altioris esse indaginis. Resp. Firmissime quidem ex pagina Sacra, quoad tamen & ex natura ille colligitur, si diversissimos attendamus effectus. Hinc non una vice Ethnici fecerunt mentionem *damonum malorum*, quod de Socrate testatur *Cyprianus in lib. de Idol. Vanit. de Platone Euseb. de prepar. Evang. l.ii. cap. 13.* Idem comprobatur, cum priscorum Sophorum relegimus Scripta, *αὐτοψία*, testis irrefutabilis. Liqvet ex prælibatis Osculum Libertatis & Arbitrii Angelici, quod monstrandum.

§. 3. Jam ad Spiritum dependentem incompletum, ejusque libertatem, animam volo, quæ si conceptum contrahibilem attendas cum Deo Angelisque convenit, notanter tamen ab illo per dependentiam, ab his per incompletam essendi rationem distinguitur. Incompleta est anima nostra (N) in essendo, (Σ) in subsistendo, etsi separatim existat, partialem enim nunquam amittit respectum, hincque frequentissime Philosophus meminit Animæ, ut partis. Hæc anima vivit. Licet Aristoteles animarum ac animatorum vitam bifariam tantum exponat (α) per substantiale esse viventium, (β) per actum secundum ab originali vita procedentem, lib. 2. de anima; neutra tamen acceptio est nostra, cum animam vivam dicimus, supponendo potius vitam potentialem insimulque accidentalem, quoad vitæ gradus Intellectus & Voluntas re ipsa à Spirituali animæ essentia distinguuntur. Varii adversantur, videantur ex illis *Scaliger exercit. 307. Sect. 15. Balib. Meisn. in Philosoph. Sobr. part. 3. Sect. 1. cap. 1. p. m. 74. &c.* Hæc animæ vita cum suis gradibus, ipsaque libertate attenditur vel in statu unionis, vel separationis. Priori sensu



potestates earumque operationes ἀπλῶς: (quorundam ratione duntaxat materiæ ministerium admittimus) materiales & organicas esse rem ritè perpendens neutiqvam largietur. Quomodo materiales potestates cadere poterunt in substantiam immaterialem? taceo, quod immaterialium evolutio, hæc illave abstractio spirituales unitæ etiam animæ operationes facile evincant. Demum Arbitrii Libertas, determinationem materiatis convenientem, & ex Materia profectam, removens, & in unita anima est Spiritualis. Extenditur ejusmodi libertas, debilis admodum post lapsum & in Hemisphærio inferiori, ad diversa naturalia, moralia, & Sacra externa (*Concord. declar. p. 662. it. p. 671.*) insequens prævium mentis actum, primum scilicet, necessariò prærequisitum; (hæc cum expendis, B. L. ad præcept. nostr. 2. & allegata ex B. Chemnitio §. 1. citati præcepti conspicua, verè, implicite tamen, actum primum supponentia, dextre, reor, mentem percipies) sicque satis à spontaneo brutorum appetitu secernitur. A Theologis & Moralistis hæcce fusius discussa legantur. Nos meram adornamus Synopsin. Quod concernit animam separatam, & in statu præternaturali existentem, (*præternaturale hic dicimus, quod aliter quidem se habet ac natura requirit, non tamen cum natura simpliciter pugnat.* Admittimus adversantes Thomam part. 1. qu. 118. Art. 3. qui vocat animæ separatæ statum violentum. *Scheibl. lib. 2. Metaph. cap. 5. Tit. 3. num. 38.* pro naturali statu pugnantem) & illa intelligit non citra species intelligibiles, vultque liberè. Excipis forsàn animæ separatæ statum non esse luminis naturæ. Resp. Maximè mens sana eum firmat. Provoco ad ultimam meam *Dissertationem hic de Obligatione Conscientiæ ex delictis 17. Martii bujus anni defensam.* Tum adhibitis argumentis subnectimus illud *Seneca Ex Epist. 117. Cum de Animarum æternitate differimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum*

AUG



aut timentium inferos, aut colentium, utor hac persuasione publica.  
Plura flagitantem remitto ad librum *Calixti de immort. anim.*  
*Et resurrect. Carnis.* Prædicto sensu à corpore sejuncta anima  
sine sensuum auxiliò, ope tamen specierum intelligibilium co-  
gnitum hoc illudve liberè appetit. Minimè verè infringitur  
hæc libertas exin, quia coram Deo constitutæ animæ malum  
velle nequeunt. Sufficit sanè optio inter hoc illudve bonum:  
Sicut nec ipse liberrimè agens Deus præter bonum unquam  
appetit. Dantur tamen bona (v. g. à Deo determinatè impe-  
rata, item futura Dei visio &c.) in quibus meram splendidam  
necessitatem venerantur beatæ animæ, in aliis minus. Iterum  
liquet *Osculum Libertatis Et Arbitrii in animabus, Synopticè da-  
tum, quod in frontispicio promissimus.*

## SECTIO. II. AXIOMATICA.

### AXIOMA I.

Rectè Voluntati assignatur Libertas.

### ΕΚΘΕΣΙΣ.

**A**ffectiones subjectorū, non aliarum affectionum, quæ ta-  
lium, esse aliàs docemus, rejiciendo hinc descriptionem  
temporis, quam attulit *Philosophus 4. lib. Physic. cap. 12. T. m. 101.*  
*Tempus est numerus vel mensura motus secundum prius Et posteri-  
us:* Est enim tempus corporis, non motus, seu affectionis af-  
fectio. Rectius ergo: *Tempus est corporis affectio externa du-  
rationem illius ad motum cœlestem distingvens.* Ita ferè de tem-  
pore *B. Zeidlerus, acerrimus, dum viveret, Peripateticus, in cursu  
Sophico, in notatis Somatolog. Lem. 13.* Forsan ad analogiam hu-  
jus Libertas totius liberi rectius, quàm Voluntatis meræ dice-  
tur; sed minimè, ut enim subjectum quod affectionibus vari-  
is non immediatè perficitur, sic & Libertas, demum præviâ  
Voluntate totum denominat liberum.

ORA-



## RATIO.

Quia omnis indifferentiæ, hincqve ipsius Libertatis scaturigo est Voluntas. confer §. 2. præcept. I.

### AXIOMA II.

Singularissima unitas, quæ est vitæ & Voluntatis divinæ, Arbitrio etiam Summi assignatur.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

**V**ita Dei non personalis, de qua II. *Joh. v. 25.* non effectiva &c. sed essentialis unica est, unitate eminentissima & singularissima, adeoque non confundenda cum unitate vel individui caduci, vel specierum monadicarum. Tendunt eò à nobis antea allegata ex *Philosophi 12. lib. Metaph. 7. cap. cum Deus perfectissimum (singularissimum) vivens dicitur.*

## RATIO.

Quia materialiter liberum Arbitrium cum Deo, &, ut loquar pressius, cum Voluntate (utamur Scholasticorum termino) identificatur.

### AXIOMA III.

Distingvitur interim à vita & Voluntate in Divinis etiam Libertas.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

**L**oquimur de Distinctione non activa, seu effectiva, sed formaliter tali, illaque, quæ *κατ' ἐξοχήν* formalis dicitur, non ac si distingveret formales conceptus, quod accurratè observavit *B. Noldius*, cum viveret, *Vir ingeniosissimus, Haffniensis quondam Professor;* Sed quia secernit formaliter, & conceptus



ceptus ope diversa, suggērente in simul natura distinctionis  
fundamentum, *vid. Scheibl. l. 1. metaphys. c. 8. &c.*

## RATIO.

Quia formaliter concipitur aliter Voluntas, aliter Libertas.

### AXIOMA IV.

Libertas Angelorum est restricta.

## EΚΘΕΣΙΣ

**S**cotus pro infinitis ferè Angelorum potestatibus pugnat.  
Scholasticos quosdam huic adjungas; sed abs onum hoc.  
Quod enim finitum est in essendo, sanè & in cognoscendo &  
appetendo finitum erit.

## RATIO

Petatur ex prædicta finitudine Angelica.

### AXIOMA V.

Anima in statu & unionis & separationis in-  
telligit, vultque liberè.

## EΚΘΕΣΙΣ.

**P**otentia animæ nunquam frustraneæ erunt, eæ potissi-  
mum, quæ per Spiritus rationem Spiritui huic compe-  
tunt; Intellectus verò & Voluntas *πρώτοι*, in corpore nullo re-  
sident.

## RATIO.

Quia anima, se juncto formæ respectu, semper gaudet in-  
tentionali vita, cujus actus sunt Intellectus & Voluntas.

Hæc, Benevole Lector, Synopticè ita fudimus, unice quo  
inserviant collationi Academicæ, quam impræsentiarū, *neuti-  
quam citra rationes specialiores*, flagitamus. Numini Summo pro  
assistente ac dirigente gratia sint gratiæ immortales.

C

Pul-




**P**ulpita conscendis doctorum Numinis ausu,  
Intentus famam qvære perpetuam.  
Adstet *ſhova* precor, tibi dirigat intima ſenſa.  
Sic laudes creſcent, nomen honoſqve ſimul.

*Benevolentia conſtandæ E. Nob. Dno.  
Respondenti ſcribebat*

**CHRISTIANUS HILTEBRANDUS,**

Logices Prof. Duc. Ordin. Publ. Fac. Phil. Senior,  
ejuſdemqve hodiè DECANUS.



*Florentiſſimo ac Erudiſſimo*

**DNO. VERESSEN/**

In Philologicis, & panſophico uſuali Audi-  
tori ſuo induſtrio,

**LIBERO ARBITRIO**

Libere, inſimulqve decenter **RESPONSURO!**

**V**ilia rimatur vulgus, præſtantia **NOSTER,**  
*Arbitrii* nodos jugiter ore ſecans.

Materies poſcit non-laſſæ ſymbola linguæ;

Differe qvòd nitidum, perbene cedit opus,

Tumqve dies nocteſqve *Sopbor* evolvere perge:

Exurgent tandem qvævis opima, reor.

*Inter occupationes animitus  
applaudet.*

**PRÆSES,**














*feros, aut colentium, utor hac persuasione publica.*  
m remitto ad librum *Calixti de immort. anim.*  
*is.* Prædicto sensu à corpore se juncta anima  
xilio, ope tamen specierum intelligibilium co-  
dve liberè appetit. Minimè verè infringitur  
a, qvia coram Deo constitutæ animæ malum  
Sufficit sanè optio inter hoc illudve bonum:  
errime agens Deus præter bonum unquam  
ur tamen bona (v. g. à Deo determinatè impe-  
a Dei visio &c.) in quibus meram splendidam  
nerantur beatæ animæ, in aliis minus. Iterum  
*libertatis & Arbitrii in animabus, Synoptice da-*  
*tis pio promissimus.*

## O. II. AXIOMATICA.

### AXIOMA I.

Voluntati assignatur Libertas.

### ΕΚΘΕΣΙΣ.

subjectorū, non aliarum affectionum, qva ta-  
aliàs docemus, rejiciendo hinc descriptionem  
attulit *Philosophus 4. lib. Physic. cap. 12. T. m. 101.*  
*us vel mensura motus secundum prius & posteri-*  
mpus corporis, non motus, ceu affectionis at-  
ergo: *Tempus est corporis affectio externa du-*  
*motum caelestem distingvens.* Ita ferè de tem-  
*acerrimus, dum viveret, Peripateticus, in cursu*  
*Somatolog. Lem. 13.* Forfan ad analogiam hu-  
us liberi rectius, quàm Voluntatis meræ dice-  
è, ut enim subjectum quod affectionibus va-  
atè perficitur, sic & Libertas, demum præviâ  
denominat liberum.

ORA-